





# PROPRIUM MISSARUM BRIXINENSE-ŒNIPONTANUM

In Administratura  
Œnipontana tantum

Die 3 Decembris

S. LUCII  
EPISCOPI ET MART.  
COMMEMORATIO

Oratio

P

**D**eus, qui beátum Lúciúm Mártyrem tuum atque Pontíficem de terréno regno ad cælestis regni glóriam transtulisti: ejus, quæsumus, méritis et intercesióne, Regis regum Jesu Christi, Filii tui, fáciás nos esse consórtes: Qui tecum vivit et regnat.

Secreta

P

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, sicut beátus Lúcius Martyr ac Póntifex tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli regi Christo placére stúduit; ita ejus oráto nos tibi reddat accéptos. Per eúndem Dóminum.

Postcommunio

P

**D**eus, qui beátum Mártyrem ac Pontificem tuum Lúciúm mificásti in terris, et gloriósum in cælis fecísti: eúndem, quæsumus, Ecclésiæ tuæ constitue defensórem. Per Dóminum nostrum Je-

sum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Quando de S. Lucio dicenda est**  
Missa integra, sumitur Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, cum Orationibus ut supra.

Die 12 Decembris

B. HARTMANNI  
EPISCOPI ET CONF.

Duplex

(d. a. ex 23 huj.)

Introitus Eccli. 45, 30

**S**TATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in aetérnum. **Ps. 131, 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.  
**V.** Glória Patri.

Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Hartmánni Confessóris tui atque Pontificis veneránda sollémnitas, et devotíónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

<sup>1</sup> Miss.-Propr. Brixin.-Œnipontan.

**Et fit Com. Octavæ Conceptionis  
immaculatæ B. M. V.:**

**Oratio**

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus; ut, qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labore præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concédas. (Per eundem Dominum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

**Léctio libri Sapiéntiæ**

**Ecli. 44, 16-27 et 45, 3-20**

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus similis illi, qui conservavit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crèscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōibus suis: conservavit illi misericordiam suam: et invénit gratiā coram oculis Domini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam gloriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in gloriæ. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsius, et offérre illi in-

cénum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16**

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. **V. Ibid., 20** Non est invéntus similis illi, qui conservaret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum ordinem Melchisedech. Allelúja.

 **Sequentia sancti Evangélii  
secúndum Matthæum**

**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum propriam virtutem, et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta accéperat, et operatus est in eis, et lucratus est ália quinque. Similiter et qui duo accéperat, lucratus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscondit pecúniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accédens qui quinque talenta accéperat, obtulit ália quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, ália quinque superlucratus

sum. Ait illi dÓminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dÓmini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: DÓmine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dÓminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dÓmini tui.

Credo, *ratione Octavæ.*

**Offertorium Ps. 88, 21-22**

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et brácchium meum confortábit eum.

**Secreta**

**S**ancti tui, quæsumus, DÓmine, nos ubique lætificant: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per DÓminum.

**Pro Octava**

**Secreta**

Salutárem hóstiam, quam in sollemitáte immaculátæ Concepciónis beátæ Virginis Mariæ tibi, DÓmine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercesióne a culpis ómnibus liberémur. (Per DÓminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

**Præfatio de Octava.**

**Communio Luc. 12, 42**

Fidélis servus et prudens, quem constituit dÓminus super famíliam suam: ut det illis in témpore tritici mensúram.

**Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercéde beáto Hartmánno Confessóre tuo atque Pontifice, benefícia potióra sumámus. Per DÓminum nostrum.

**Pro Octava**

**Postcommunio**

Sacraménta quæ súmpsímus, DÓmine, Deus noster: illius in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Mariæ Concepciónem singuláriter præservásti. (Per DÓminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

**In diœcesi Brixinensi tantum**

**Die 14 Decembris**

(d. a. ex 13 huj.)

**S. OTTILLÆ VIRGINIS**

**Duplex**

**Introitus Ps. 44, 8**

**D**IEXISTI justíam, et odisti iniquitátem: prop térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae præ consórtibus tuis. **Ps. ibid., 2** Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, beatæ Ottiliae Virginis tuæ sollémnia recenséntes, méritis ipsius protegámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio Octavæ Conceptionis immaculatæ:**

**Oratio**

Deus, qui per immaculátam Virginis Conceptiónem dignum Filio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Filii tui prævisa eam ab omni labo præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

**Deinde Commemoratio Feriæ.**

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corinthios

**2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2**

**F**ratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustineréritis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: àemulor enim vos Dei àemulatióne. Despóndi enim vos uni viro virginem castam exhibére Christo.

**Graduale Ps. 44, 5**

Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, pròspere procéde et regna. **V.** Propter veritátem, et

mansuetúdinem, et justitiam: et dedúcet te mirabiliter déxtera tua.

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 44, 15**  
**et 16** Adducéntur Regi vírgenes post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætitia. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum  
**Matth. 25, 1-13**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábola hanc: Simile erit regnum cælórum decem virginibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviām sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpserunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitáverunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite óbviām ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérent prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émitte vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant,

intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est jānua. Novissime vero véniant et réliquæ vírgines, dicentes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

Credo, *ratione Octavæ.*

### Offertorium Ps. 44, 10

Filiæ regum in honore tuo, ástigit regina a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte.

### Secreta

**A**ccépta tibi sit, Dómine, sacrátae plebis oblátio pro tuórum honore Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepíssse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava Conceptionis immaculatæ

### Secreta

Salutárem hóstiam, quam in sollemnité immaculátæ Conceptionis beátæ Virginis Mariæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercesióne a culpis ómnibus liberémur. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Præfatio de Octava.

### Communio Math. 25, 4 et 6

Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum

lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit: exite óbviam Christo Dómino.

### Postcommunio

**S**atiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cujus sollémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum Jésu Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Pro Octava Conceptionis immaculatæ

### Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine, Deus noster: illius in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Mariæ Conceptionem singuláriter præservásti. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Feriæ et, in Quatuor Temporibus, de ea legitur Evangelium in fine.

Die 7 Januarii  
S. VALENTINI  
EPISCOPI ET CONF.  
COMMEMORATIO

### Oratio

C

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Valentini Confessóris tui atque Pontificis veneránda sollémnitas, et devotionem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum Jésu Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Secreta**

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine,  
nos ubique lætificent: ut, dum  
eórum mérita recólimus, patro-  
cínia sentiámus. Per Dóminum.

**Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens  
Deus: ut, de percéptis munéri-  
bus grátias exhibéntes, interce-  
dénte beáto Valentino Confes-  
sóre tuo atque Pontifice, bene-  
fícia potióra sumámus. Per Dó-  
minum nostrum.

**Quando de S. Valentino dicenda  
est Missa integra, sumitur Missa  
Státuit, de Communi Conf. Pon-  
tificis 1 loco.**

Die 15 Januarii  
**S. ROMEDII CONFESSORIS**  
**Duplex**

**Introitus Ps. 111, 6-7**

**I**N memória ætérrna erit justus:  
ab auditíone mala non timébit.  
**Ps. ibid., 1** Beátus vir, qui ti-  
met Dóminum: in mandátis ejus  
cupit nimis. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**O**mnipotens sempítérne Deus,  
qui beátum Romédium hu-  
jus sǽculi voluptátes et divítias  
spérnere docuísti, eúmque in so-  
litúdinem deduxisti: concéde,  
quæsumus; ut, ipsius intervéntu  
terréna despiciéntes, cælestia  
semper appetámus. Per Dómi-  
num nostrum.

**C**

**E**t fit Commemoratio S. Pauli  
primi Eremitæ, Conf.:

**Oratio**

Deus, qui nos beáti Pauli Con-  
fessóris tui ánnua sollemnítate  
lætificas: concéde propítius; ut,  
cujus natalicia cólimus, étiam  
actíones imitémur. (Per Dómi-  
num nostrum.)

**Deinde Commemoratio S. Mauri  
Abbatis:**

**Oratio**

Intercéssio nos, quæsumus, Dó-  
mine, beáti Mauri Abbatis com-  
méndet: ut, quod nostris méritis  
non valémus, ejus patrocínio as-  
sequámur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Timótheum

**1 Tim. 6, 6-12**

**C**arissime: Est quæstus mag-  
nus pietas cum sufficiéntia.  
Nihil enim intúlimus in hunc mun-  
dum: haud dúbium quod nec au-  
férre quid pójsumus. Habéntes  
autem aliménta, et quibus tegá-  
mur, his conténti simus. Nam qui  
volunt divites fieri, incident in  
tentatióne, et in láqueum diá-  
boli, et desidéria multa inutilia,  
et nociva, quæ mergunt hómines  
in intéritum et perditiónem. Ra-  
dix enim ómnium malórum est  
cupiditas: quam quidam appeténtes,  
erravérunt a fide, et inseru-  
runt se dolóribus multis. Tu au-  
tem, o homo Dei, hæc fuge:

sectáre vero justitiam, pietátem, fidem, caritátem, patientiam, mansuetudinem. Certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam æternam.

### Graduale Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Dómini. **V.** Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Alleluja, alleluja. **V.** Romédius pauper et húmilis, cælum dives ingréditur, hymnis cælestibus honorátur. Alleluja.

**Post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur:**

### Tractus Ps. 15, 7-8

Benedicam Dóminum, qui trubuit mihi intellectum: providébam Deum in conspéctu meo semper. **V. Jer. 17, 7** Benedictus vir, qui confidit in Dómino, et erit Dóminus fidúcia ejus. **V.** Romédius pauper et húmilis, cælum dives ingréditur, hymnis cælestibus honorátur.

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum

### Matth. 19, 27-29

**I**n illo tempore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce, nos reliquimus ómnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regenera-

tione, cum séderit Filius hóminis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam æternam possidébit.

### Offertorium Eccli. 24, 3-4

In medio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur, et in multitúdinem electórum habébit laudem, et inter benedíc-tos benedicétur.

### Secreta

**O**blata múnera súscipe propí-tius, Deus: et, beáto Romé-dio pro nobis intercedénte, fac, ut amóris tui igne inflammémur. Per Dóminum nostrum.

### Pro S. Paulo

### Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias im-molámus in tuórum commemo-ratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidi-mus et futúris. (Per Dóminum.)

### Pro S. Mauro

### Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Maurus Ab-bas, quæsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dómi-num nostrum.

**Communio** Eccli. 45, 2 et 5

Similem illum fecit in glória Sanc-tórum, audívit enim eum, et vo-cem ipsíus, et indúxit illum in nubem.

**Postcommunio**

**S**acris munéribus caritatis tuæ, Dómine, cumuláti suppliciter exorámus: ut, exémplis beáti Ro-médii Confessóris tui fidéliter in-hérentes, ejúsdem consórto in ætérana beatitúdine copulémur. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Paulo****Postcommunio**

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemo-ratióne percépimus, ejus muniá-mur et prémibus. (Per Dóminum.)

**Pro S. Mauro****Postcommunio**

Prótegat nos, Dómine, cum tui percepitióne sacraménti beátorus Maurus Abbas, pro nobis inter-cedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et inter-cessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

**Die 31 Januarii****S. EUSEBII MART.  
COMMEMORATIO****Oratio**

C

**P**ræsta, quássumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Eusébio Mártyre tuo, et a cunctis

adversitáibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatióibus mundémur in mente. Per Dñm.

**Secreta**

C

**A**ccépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus sollemnitáte defértur. Per Dóminum.

**Postcommunio**

C

**R**efécti participatióne múneris sacri, quássumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséqui-mur cultum, intercedénte beáto Eusébio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

**Quando de S. Eusebio dicenda est Missa integra, sumitur Missa Lætabitur, de Communi unius Martyris 4 loco.**

**Die 5 Februarii****SANCTORUM****INGENUINI ET ALBUINI  
EPISCOPORUM ET CC.**

Patronorum  
diœcesis Brixinensis

Duplex I classis  
(in diœcesi Brixinensi  
cum Octava communi)

**Introitus**

**G**AUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum ce-lebrantes, sub honore sanctórum Confessórum, de quo-rum sollemnitáte gaudent Ange-

li, et colláudant Filium Dei. **Ps. 32, 1** Exsultáte, justi, in Dómino, rectos decet collaudátio. **V.** Glória Patri.

### Oratio

**D**eus, tuórum glória sacerdórum: præsta, quæsumus; ut, qui sanctórum Confessórum tuórum atque Pontificum Ingenuini et Albuíni natalícia cólimus, eórum auxília sentiámus. Per Dñm.

Léctio Epistolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Hebræos

**Hebr. 13, 7-17**

**F**ratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri et hódie: ipse et in sácula. Doctrinis váriis et peregrínis nolite abdúci. Optimum est enim grátia stabilire cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum ságuinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitá-

tem, sed futúram inquirimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiae autem et communiónis nolite oblivisci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obcédite præpósitis vestris et subjacéte eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

### Graduale Ps. 131, 16-17

Sacerdótes ejus induam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcā cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V. Eccli. 44, 14** Córpora sanctórum in pace se-púlta sunt, et nómina eórum vi-vent in generatióne et genera-tiōne. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-lelúja et Versu sequenti, dicitur**

### Tractus Ps. 125, 5-6

Qui séminant in lácrimis, in ex-sultatióne metent. **V.** Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. **V.** Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes ma-nipulos suos.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

### Matth. 25, 14-23

**I**n illo témpore: Dixit Jesus dis-cípulis suis parábolam hanc: Homo peregre proficiscens vocá-

vit servos suos, et trádedit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et, qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fudit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratióнем cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidisti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui.

Credo.

### Offertorium Ps. 31, 11

Lætámini in Dómino et exsultáte,  
justi: et gloriámini, omnes recti  
corde.

### Secreta

**S**anctórum Ingenuíni et Albuíni Confessórum tuórum atque Pontificum, quæsumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illos beáta retribútio comítetur, et nobis grátiæ tuæ dona conciliet. Per Dóminum nostrum.

### Communio Matth. 10, 27

Quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure auditis, prædicáte super tecta.

### Postcommunio

**D**eus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beatórum Ingenuíni et Albuini Confessórum tuórum atque Pontificum, quorum venerándam celebrámus festivitátem, précibus eórum indulgentiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

### In diœcesi Brixinensi tantum

Die 12 Februarii

OCTAVA  
SS. INGENUINI  
ET ALBUINI  
EPISCOPORUM ET CC.

Duplex majus

Missa ut in Festo.

Et fit Commemoratio Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., ut in Missali hac die.

Die 17 Februarii

S. AGATHÆ

VIRGINIS ET MART.

Duplex

(d. a. ex 5 huj.)

Missa ut in Missali die 5 Februarii.

In Administratura

Enipontana tantum

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS MARLÆ

HOFBAUER

CONFESSORIS

Duplex

Introitus Ps. 91, 13-14

**J**USTUS ut palma florébit:  
sicut cedrus Libani multipli-  
cabitur: plantátus in domo  
Dómini: in átriis domus Dei no-  
stri. **Ps. ibid., 2** Bonum est con-  
fitéri Dómino: et psállere nómini  
tuo, Altissime.

**V.** Glória Patri.

Oratio

**D**eus, qui beátum Cleméntem  
Mariam miro fídei róbore  
et invictæ constántiæ virtúte de-  
corásti: ejus méritis et exémplis  
fac nos, quæsumus, ita fortes in  
fide et caritáte fervéntes; ut præ-  
mia consequámur ætérrna. Per  
Dóminum nostrum.

Et, in Missis non conventionalibus,  
fit Com. Feriæ.Léctio Epístolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Corinthios

1 Cor. 4, 9-14

**F**ratres: Spectáculum facti su-  
mus mundo et Angelis et ho-  
mínibus. Nos stulti propter Chri-  
stum, vos autem prudéntes in  
Christo: nos infírmi, vos autem  
fortes: vos nóbiles, nos autem  
ignóbiles. Usque in hanc horam  
et esurímus, et sitímus, et nudi  
sumus, et cólaphis cædimur, et  
instábiles sumus, et laborámus  
operántes mánibus nostris: ma-  
ledicimur, et benedicimus: per-  
secutióñem pátimur, et sustiné-  
mus: blasphemámur, et obsecrá-  
mus: tamquam purgáménta hujus  
mundi facti sumus, ómnium  
peripséma usque adhuc. Non ut  
confúndam vos, hæc scribo, sed  
ut filios meos caríssimos móneo:  
in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam,  
et lingua ejus loquétur judicium.**V.** Lex Dei ejus in corde ipsius:  
et non supplantabúntur gressus  
ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum:  
in mandátis ejus cupit nimis. **V.**Potens in terra erit semen ejus:  
generátio rectórum benedicéatur.**V.** Glória et divítiae in domo ejus:  
et justitia ejus manet in sáculum  
säculi.

 Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Lucam  
**Luc. 12, 32-34**

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timére, puillus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Vénite quæ possidétis, et date eleemosynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscent, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

**Offertorium Ps. 20, 2-3**

In virtute tua, Dómine, lætabitur justus, et super salutare tuum exultabit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

**Secreta**

Ille nos, quæsumus, Dómine, devotiónis ignis accéndat; quo beátus Clemens María, dum salutárem offérret hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

**Et fit Com. Feriæ, ut supra.**

**Communio Matth. 19, 28-29**

Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquistis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

**Postcommunio**

Cælesti pane reféctis concéde nobis, omnípotens Deus: ut, beáti Cleméntis exemplo, in fortitudine cibi illius usque ad mon-

tem, qui Christus est, feliciter perveniámus: Qui tecum vivit.

**Et fit Com. Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.**

Sabbato ante Dominicam II post Pascha

**TRANSLATIO S. CASSIANI EPISCOPI ET MARTYRIS Patroni Ecclesiæ Brixinensis**

**Duplex I classis**

**Introitus Ps. 63, 3**

**P**ROTEXISTI me, Deus, a convéntu malignántium, alleluja: a multitúdine operántium iniquitátem, alleluja, alleluja. **Ps. ibid., 2** Exáudi, Deus, orationem meam, cum déprecor: a timóre inimici éripe ánimam meam. **V. Glória Patri.**

**Oratio**

**O**mnipotens sempitérne Deus, qui beátum Cassiánum Pontificem martyrii coróna decorásti: concéde propitius; ut, cuius sollémnia cólimus, ejus patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

**Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum**

**2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12**

**C**aríssime: Memor esto, Dóminus Jesum Christum resurrexisse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad vincula, quasi male óperans: sed

verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter éléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælesti. Tu autem assecútus es meam doctrinam, institutióñem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectionem, pa-tiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Anti-ochiæ, Icónii et Lystris: quales persecutiónes sustinui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutióñem pa-tiéntur.

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 88, 6**  
Confitebúntur cæli mirabilia tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Alleluja.  
**V. Ps. 20, 4** Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretioso. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

Matth. 10, 23-28

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen, dico vobis, non consummábitis civitátes Israel, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magistrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beél-

zebul vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuératis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur: et occútum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dicite in lúmine: et quod in aure auditis, prædicáte super tecta. Et nolite timére eos, qui occidunt corpus, ániam autem non possunt occidere: sed pótius timéte eum, qui potest et ániam et corpus pér-dere in gehénnam.

Credo.

### Offertorium Ps. 88, 6

Confitebúntur cæli mirabilia tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum, alleluja, alleluja.

### Secreta

**M**únera tibi, Dómine, dicáta sanctifica: et, intercedénte beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos plácatus inténde. Per Dóminum.

### Communio Ps. 63, 11

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, alleluja, alleluja.

### Postcommunio

**H**æc nos communio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontífice, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum.

Die 19 Aprilis  
S. GEROLDI CONFESSORIS  
Duplex

**Introitus Ps. 91, 13-14**

**J**USTUS ut palma florébit:  
sicut cedrus Libani multiplicábitur: plantátus in domo  
Dómini: in átriis domus Dei no-  
stri, allelúja, allelúja. **Ps. ibid., 2**  
Bonum est confitéri Dómino: et  
psállere nómini tuo, Altissime.

**V.** Glória Patri.

**Oratio**

**A**désto, Dómine, supplicationi-  
bus nostris, quas in beáti  
Geroldi Confessóris tui sollem-  
nitáte deférimus: ut, qui nostræ  
justitiæ fidúciam non habémus,  
ejus, qui tibi plácuit, prémibus ad-  
juvémur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Philippenses

**Philipp. 3, 7-12**

**F**ratres: Quæ mihi fuérunt lucra,  
hæc arbitrátus sum propter  
Christum detriménta. Verúmta-  
men existimo ómnia detrimén-  
tum esse propter eminentem  
sciéntiam Jesu Christi, Dómini  
mei: propter quem ómnia detri-  
mémentum feci et ábitror ut stér-  
cora, ut Christum lucrifáciam, et  
invéniar in illo, non habens meam  
justitiam, quæ ex lege est, sed  
illam, quæ ex fide est Christi

Jesu: quæ ex Deo est justitia in  
fide, ad cognoscéndum illum, et  
virtútem resurrectionis ejus et so-  
ciétatem passiónum illius: config-  
urátus morti ejus: si quo modo  
occúrram ad resurrectionem, quæ  
est ex mórtuis: non quod jam ac-  
céperim aut jam perféctus sim:  
sequor autem, si quo modo com-  
prehéndam, in quo et compre-  
hénsus sum a Christo Jesu.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 111, 1**  
Beátus vir, qui timet Dóminum: in  
mandátis ejus cupit nimis. Allelú-  
ja. **V. Osee 14, 6** Justus germiná-  
bit sicut lílum: et florébit in ætér-  
num ante Dóminum. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Lucam  
**Luc. 19, 12-26**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus dis-  
cipulis suis parábolam hanc:  
Homo quidam nóbilis ábiit in re-  
giónem longinquam accípere sibi  
regnum, et revérti. Vocátis au-  
tem decem servis suis, dedit eis  
decem mnas, et ait ad illos: Ne-  
gotiámini, dum vénio. Cives au-  
tem ejus óderant eum: et misé-  
runt legatióne post illum, dicéntes:  
Nólumus hunc regnare super  
nos. Et factum est, ut rediret ac-  
cépto regno: et jussit vocári ser-  
vos, quibus dedit pecúniam, ut  
sciret, quantum quisque negotiá-  
tus esset. Venit autem primus,  
dicens: Dómine, mna tua decem

m̄nas acquisivit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in m̄dico fuisti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque m̄nas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: timui enim te, quia homo austérus es: tollis, quod non posuísti, et metis, quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, tollens, quod non pósui, et metens, quod non seminávi: et quare non dedisti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegissem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mn̄nam et date illi, qui decem m̄nas habet. Et dixerunt ei: Dómine, habet decem m̄nas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et, quod habet, auferétur ab eo.

### Offertorium Ps. 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine, létabitur justus, et super salutáre tuum exultábit vehémenter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, allelúja.

### Secreta

**P**ræsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honore Sanctórum, et

nos córpore páriter et mente purificet. Per Dóminum nostrum.

### Communio Matth. 19, 28 et 29

Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquistis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis, allelúja.

### Postcommunio

**Q**uæsumus, omnipotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedénte beáto Gerólodo Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

### In Administratura Enipontana tantum

Die 20 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM  
CONFESSORIS

### Duplex

Introitus Ps. 36, 30-31

**O**s justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquéatur judicium: lex Dei ejus in corde ipsius. (T. P. Allelúja, allelúja.) **Ps. ibid., 1** Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

**V.** Glória Patri.

### Oratio

**D**eus, qui misericórdiæ tuæ jánuam fidélibus patére voluísti: te súpplices exorámus; ut, intercedénte beáto Conrádo Confessóre tuo, temporália subsídia nobis tribuas et ætéerna. Per Dñm.

## Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 31, 8-11

**B**éatus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætéerna: qui pótuit tráns-gredi, et non est transgréssus: fáceré mala, et non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarábit omnis ecclésia sanctórum.

## Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. **V.** Jac. 1, 12  
Beátus vir, qui suffert tentatió-nem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja. **V.** Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur

## Graduale Ps. 91, 13 et 14

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. **V.** Ibid., 3 Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noc-tem.

Allelúja, allelúja. **V.** Jac. 1, 12  
Beátus vir, qui suffert tentatió-nem: quóniam, cum probátus

fúerit, accípiet corónam vitæ. Al-lelúja.

Post Septuagesimam, omissis Al-lelúja et Versu sequenti, dicitur

## Tractus Ps. 111, 1-3

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. **V.** Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sáculum sáculi.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

## Luc. 12, 35-40

In illo témporte: Dixit Jesus dis-cipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos similes homínibus exspectántibus dómi-num suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit et pulsá-verit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dómi-nus, invénerit vigilantes: amen, dico vobis, quod præcinget se, et fáciat illos discúmbere, et tráns-iens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigilia, et si in tértia vigilia vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scítote, quóniam, si sciret pater-familias, qua hora fur veníret, vi-giláret útique, et non sineret pér-fodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putá-tis, Filius hóminis véniat.

Die 1 Maji

# S. JOSEPH OPIFICIS

SPONSI BEATÆ MARIAE VIRGINIS

CONFESSORIS

Duplex I classis

**Introitus Sap. 10, 17**

**S**APIENTIA redidit justis mercédem labórum suórum, et deduxit illos in via mirábili, et fuit illis in velaménto diéi et in luce stellárum per noctem, allelúja, allelúja. **Ps. 126, 1** Nisi Dóminus ædificáverit domum, in vanum labórant qui ædificant eam.

**V.** Glória Patri.

**Oratio**

**R**erum cónditor Deus, qui legem labóris humáno géneri statuisti: concéde propítius; ut, sancti Joseph exémplo et patrocínio, ópera perficiámus quæ præcipis, et præmia consequámur quæ promítis. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Colossénses  
**Col. 3, 14-15, 17, 23-24**

**F**ratres: Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno cónpore, et grati estóte. Omne quod-

cúmque fáctis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum. Quodcúmque fáctis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus, sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis. Dómino Christo servíte.

Allelúja, allelúja. **V.** De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero protéctor eórum semper. Allelúja. **V.** Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

**Extra Tempus Paschale dicitur**

**Graduale Ps. 127, 1-2**

Beátus quicúmque times Dóminum, qui ámbulas in viis ejus. **V.** Labórem mánuum tuárum manducábis et bene tibi erit.

Allelúja, allelúja. **V.** Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-**  
lelúja et Versu sequenti, dicitur

**Tractus Ps. 111, 1-3**

Beatus vir qui timet Dóminum, qui mandatis ejus delectátur multum.  
**V.** Potens in terra erit semen ejus; generatióni rectórum benedicétur.  
**V.** Opes et divitiæ erunt in domo ejus, et munificéntia ejus manébit semper.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthéum  
**Matth. 13, 54-58**

In illo témpore: Véniens Jesus in pátriam suam, docébat eos in synagógis eórum, ita ut miraréntur et dicerent: „Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus Jacóbus et Joseph et Simon et Judas? Et soróres ejus nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic ómnia ista?“ Et scandalizabántur in eo. Jesus autem dixit eis: „Non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua et in domo sua“. Et non fecit ibi virtú-

tes multas propter incredulitátem illórum. Credo.

**Offertorium Ps. 89, 17**

Bónitas Dómini Dei nostri sit super nos, et opus mánuum nostrárum secúnda nobis, et opus mánuum nostrárum secúnda, allelúja.

**Secreta**

**Q**uas tibi, Dómine, de opéribus mánuum nostrárum offérimus hóstias, sancti Joseph interpósito suffrágio, pignus fáciás nobis unitatis et pacis. Per Dóminum.

**Præfatio de sancto Joseph** Et te in Solemnítate.

**Communio Matth. 13, 54, 55**

Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur María? Alleluja.

**Postcommunio**

**H**æc sancta quæ súmpsimus, Dómine: per intercessiónem beáti Joseph; et operatiónen nostram cómpleant, et præmia confírment. Per Dóminum.

**APPROBATIO**

Concordat cum originali approbato.

Ratisbonæ, die 16 Aprilis 1956

J. BALDAUF

Vic. gen.

**Offertorium Ps. 88, 25**

Véritas mea et misericórdia mea  
cum ipso: et in nómíne meo exal-  
tábitur cornu ejus. (T. P. Alle-  
lúja.)

**Secreta**

**O**blatiónes nostras tibi, Dómi-  
ne, quásimus, beáti Conrádi intercés-  
sio veneránda coméndet: quem coram tuis altári-  
bus precántem supernórum charis-  
matum dulcépine recreásti.  
Per Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47**

Beátor servus, quem, cum vé-  
nit dómínu, invénerit vigilántem:  
amen, dico vobis, super ómnia  
bona sua constituet eum. (T. P.  
Allelúja.)

**Postcommunio**

**S**úmpsimus, Dómine, tua sanc-  
ta, beáti Conrádi mérita reco-  
léntes: præsta, quásimus; ut ejus  
semper et præcláro proficiámus  
exémplo et fidéli muniámur au-  
xilio. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Maji

S. JOANNIS NEPOMUCENI  
MARTYRIS

Duplex

Introitus Eccli. 51, 30

**D**EDIT mihi Dóminus lin-  
guam mercédem meam:  
et in ipsa laudábo eum.  
(T.P. Allelúja, allelúja.) Ps. 38, 2

<sup>2</sup> Miss.-Propr. Brixin.-Enipontan.

Dixi: Custódiam vias meas, ut  
non delínquam in lingua mea.  
¶ Glória Patri.

**Oratio**

**D**eus, qui ob invictum beáti  
Joánnis sacramentálē silén-  
tium nova Ecclésiam tuam mar-  
tírii coróna decorásti: da; ut, ejus  
exémplo et intercessióne, ori no-  
stro custódiam ponéntes, beátis,  
qui lingua non sunt lapsi, an-  
numerémur. Per Dóminum no-  
strum Jesum Christum, Filium  
tuum: Qui tecum vivit.

**Et fit Com. S. Ubaldi Ep. et Conf.:  
Oratio**

Auxílium tuum nobis, Dómine,  
quásimus, placátus impénde: et,  
intercessióne beáti Ubáldi Con-  
fessóris tui atque Pontíficis, con-  
tra omnes diáboli nequítias déx-  
teram super nos tuæ propitiatió-  
nis exténde. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ  
**Eccli. 21, 26-31**

**S**tultus a fenéstra respiciet in do-  
mum: vir autem eruditus foris  
stabit. Stultitia hóminis auscul-  
táre per óstium, et prudens gra-  
vábitur contumélia. Lábia impru-  
déntium stulta narrábunt, verba  
autem prudéntium statéra pond-  
erabúntur. In ore fatuórum cor  
illórum: et in corde sapiéntium os  
illórum. Dum maledícit ímpius  
diábolum, maledícit ipse ániam  
suam. Susúrro coinquinábit áni-

mam suam, et in ómnibus odiétur: et, qui cum eo mánserit, odiósus erit: tacitus et sensátus honorábitur.

**Tempore Paschali:**

Allelúja, allelúja. **V. Eccli. 25, 11**  
 Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indig-nis se. Allelúja. **V. Prov. 10, 31**  
 Lingua pravórum períbit: lingua autem sapiéntium est sánitas. Al-lelúja.

**Extra Tempus Paschale dicitur**

**Graduale Prov. 11, 13**

Qui ámbulat fraudulénter, revé-lat arcána: qui autem fidélis est ánnimi, celat. **V. Ps. 14, 1 et 3**  
 Dómine, quis habitábit in taber-náculo tuo, aut quis requiéscet in monte sancto tuo? Qui non egit dolum in lingua sua: nec fecit próximo suo malum.

Allelúja, allelúja. **V. Eccli. 25, 11**  
 Beátus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servívit indig-nis se. Allelúja.

**In Missis votivis post Septuage-simam, omissis Allelúja et Versu-sequenti, dicitur**

**Tractus Jac. 1, 26; 3, 2 et 7-8**

Si quis putat se religósum esse, non refrénans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est religio. **V.** Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir. **V.** Omnis enim natúra bestiárum domántur, et dómita sunt a natú-

ra humána: linguam autem nullus hóminum domáre potest.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

**Matth. 11, 2-10**

**I**n illo témporte: Cum audísset Joánnes in vinculis ópera Chri-sti, mittens duos de discipulis su-is, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et re-spóndens Jesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Joánni, quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizá-tus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joánnē: Quid existis in desértum vidére? arúndinem vento agitá-tam? Sed quid existis vidére? hóminem móllibus vestitum? Ec-ce, qui móllibus vestiúntur, in dó-mibus regum sunt. Sed quid ex-sistis vidére? Prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam Prophé-tam. Hic est enim, de quo scrip-tum est: Ecce, ego mitto An-ge-lum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

**Offertorium Eccli. 42, 1**

Non dúplices sermónen de reve-latióne sermónis absconditi, et eris vere sine confusióne: et in-vénies grátiam in conspéctu óm-nium hóminum. (**T. P.** Allelúja.)

Die 31 Maji

# BEATÆ MARIÆ VIRGINIS REGINÆ

Duplex II classis

## Introitus

**G**AUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore beatæ Mariæ Virginis Reginæ: de cuius solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei. (**T. P.** Allelúja, allelúja.) **Ps. 44, 2** Efundit cor meum verbum bonum: dico ego carmen meum Regi. **V.** Glória Patri.

## Oratio

**C**oncde nobis, quæsumus, Dómine: ut, qui solemnitatem beatæ Mariæ Virginis Reginæ nostræ celebramus; ejus muniti præsidio, pacem in præsenti et gloriæ in futuro cónsequi mereámur. Per Dóminum.

**E**t, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Petronillæ Virginis:

## Oratio

Exaudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beatæ Petronillæ Virginis tuæ festivitaté gaudemus; ita piæ devotionis erudiámur affectu. Per Dóminum nostrum.

## Léctio libri Sapiéntiæ

**E**ccli. 24, 5, 7, 9-11, 30-31

**E**go ex ore Altissimi prodívi, primogenita ante omnem creaturam; ego in altissimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. In omni terra steti et in omni populo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humilium corda virtute calcávi. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt; qui elúcident me, vitam æternam habébunt.

Allelúja, allelúja. **V.** Beáta es, Virgo María, quæ sub cruce Dómini sustinuisti. Allelúja. **V.** Nunc cum eo regnas in ætérnum. Allelúja.

## Extra Tempus Paschale dicitur

### Graduale Apoc. 19, 16

Ipse habet in vestiménto et in fémore suo scriptum: Rex regum, et Dóminus dominántium. **V. Ps.**

**44, 10** Regina adstat ad déxteram ejus, ornáta auro ex Ophir.

Allelúja, allelúja. **V.** Salve, Regina misericórdiæ, tu nos ab hoste prótege, et mortis hora súscipe. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Lucam  
Luc. 1, 26-33

In illo tempore: Missus est Angelus Gábel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Virginem despósatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et ingrēssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermóne ejus: et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeras, María, invenisti enim gratiā apud Deum: ecce concipies in útero, et páries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Credo.

### Offertorium

Regáli ex progénie María exórta refúlget; cujus précibus nos adjuvári, mente et spíritu devotissime pósclimus. (T. P. Allelúja.)

### Secreta

Accipe, quæsumus, Dómine, múnera lætantis Ecclésiæ, et, beátæ Virginis Mariæ Reginæ

suffragántibus méritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concéde. Per Dóminum nostrum.

### Pro S. Petronilla

#### Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepisse cognoscit auxilium. Per Dóminum.

**Præfatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitatē.

### Communio

Regina mundi dignissima, María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuisti Christum Dóminum, Salvatorem ómnium. (T. P. Allelúja.)

### Postcommunio

Celebrátis solémniis, Dómine, quæ pro sanctæ Mariæ, Reginæ nostræ, festivitatē perégimus: ejus, quæsumus, nobis intercessióne fiant salutária; in cujus honóre sunt exultanter impléta. Per Dóminum nostrum.

### Pro S. Petronilla

#### Postcommunio

Satiásti, Dómine, familiam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Approbatio. Concordat cum originali approbato.

Ratisbonæ, die 5 Augusti 1955 p. n. Joseph Meindl

**Secreta**

**H**æc tua, Dómine, sacra mystéria illum in nobis, quæsumus, ignem accéndant: quo inclitus Martyr et Sacérdos tuus Joánnes, ea peragéndo, flagrábat. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Ubaldo****Secreta**

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocinia sentiámus. Per Dóminum.

**Communio Is. 6, 6-7**

Volávit ad me unus de Séraphim: et in manu ejus cálculus, quem túlerat de altári, et tétigit os meum.  
(T. P. Allelúja.)

**Postcommunio**

**F**ragilitátem nostram, Dómine, cælestis hæc mensa fórtium pane confirmet: qui beáti Mártiris et Sacerdótis tui Joánnis tentátam contra honórem sacraménti constántiam, júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

**Pro S. Ubaldo****Postcommunio**

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grárias exhibéntes, intercedénte beáto Ubaldo Confessóre tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit.

**In Administratura  
Cenipontana tantum**

Die 27 Junii  
**S. HEMMÆ VIDUÆ**

**Duplex****Introitus Ps. 15, 8-9**

**P**ROVIDEBAM Dóminum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear. Propter hoc lætatum est cor meum, et exsultávit lingua mea: ínsuper et caro mea requiéscet in spe. **Ps. ibid., 1-2** Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum mèrorum non eges. **V.** Glória Patri.

**Oratio**

**D**a, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis hunc caritatis aféctum: ut, sanctæ Hemmæ celebritáte fervéntes, nullis implicéntur erróribus, nullis adversitatibus affligántur; sed salutáribus proficient institútis, discant mundi contémptum, vitalibúsque præsidiis adjuvéntrur. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis Baptistæ:**

**Oratio**

Deus, qui præséntem diem honorabilem nobis in beáti Joánnis nativitaté fecísti: da pòpulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dirige in viam salútis ætérnæ. (Per Dóminum nostrum.)

**Deinde, si hodie fuerit Sabbathum, Commemoratio Vigiliæ Ss. Apostolorum Petri et Pauli, ut in Missali hac die.**

Léctio Epistolæ beáti Pauli  
Apóstoli ad Timótheum

**1 Tim. 5, 3-10**

**C**aríssime: Viduas honóra, quæ vere viduæ sunt. Si qua autem vídua filios aut nepótes habet, discat primum domum suam régere, et mútuam vicem rédere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratióibus et oratióibus nocte ac die. Nam quæ in deliciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe, ut irrehprehensibiles sint. Si quis autem suórum, et máxime domesti-córum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Vidua eligátur non minus sexaginta annórum, quæ fúerit unius viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si filios educávit, si hospitio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatióнем pa-tiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

**Graduale Ps. 44, 3 et 5**

Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedixit te Deus in ætérnum. **V.** Propter veritátem et mansuetúdinem et justitiam: et dedúcet te mirabiliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. **V. Ibid., 5** Spécie tua et pulchritúdine tua intén-de, próspera procéde et regna. Allelúja.

**H** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

**Matth. 19, 16-26**

**I**n illo témpore: Accédens unus ad Jesum, ait illi: Magíster bo-ne, quid boni fáciám, ut hábeam vitam ætérnam? Qui dixit ei: Quid me intérrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva man-dáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium fácies: Non adulterábis: Non fácies fur-tum: Non falsum testimónium di-ces: Honóra patrem tuum et ma-trem tuam, et diliges próximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi aduléscens: Omnia hæc custodívi a juventúte mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis per-féctus esse, vade, vende, quæ ha-bes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo: et veni, sé-quere me. Cum audísset autem aduléscens verbum, ábiit tristis; erat enim habens multas posses-siónes. Jesus autem dixit discípu-lis suis: Amen, dico vobis, quia dives difficile intrábit in regnum cælórum. Et iterum dico vobis: Facilius est camélum per forá-men acus transire, quam divitem intráre in regnum cælórum. Au-ditis autem his, discípuli mira-

bántur valde, dicéntes: Quis ergo pótterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud hómines hoc impossibile est, apud Deum autem ómnia possibilia sunt.

### Offertorium Ps. 15, 6

Funes cecidérunt mihi in præcláris: étenim heréditas mea præclára est mihi.

#### Secreta

**A**scéndant ad te, Dómine, preces nostræ, et tuórum vota fidélium múnera suppliciter oblata concilient, quod, etiámsi nostris opéribus non merémur, sanctæ Hemmæ, quæsumus, intercessióne mereámur. Per Dñm.

### Pro Octava S. Joannis Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illius nativitaté tem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum. (Qui tecum.)

### Communio Ps. 15, 11

Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætitia cum vultu tuo: delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

### Postcommunio

**Q**uæsumus, virtútum cælesti-  
um Deus: ut sacrificia pro  
sanctæ Hemmæ sollemnitaté ob-  
lata; desideriorum nos temporá-

lium dóceant habére contémp-  
tum, et ambire dona fácient cælé-  
stium gaudiórum. Per Dóminum.

### Pro Octava S. Joannis Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptistæ generatióne læ-  
titiam: per quem suæ regeneratió-  
nis cognóvit auctórem, Dómi-  
num nostrum Jesum Christum,  
Filium tuum. (Qui tecum.)

**S**i hodie fuerit Sabbatum, in fine legitur Evangelium Vigiliæ Ss. App. Petri et Pauli, ut in Missali.

### In Administratura Cenipontana tantum

#### Sabbato

ante Dominicam I Julii

### IN SOLLEMNITATE TRANSLATIONIS

IMAGINIS B. MARIÆ VIRG.

#### sub titulo

Auxilium Christianorum

### Duplex I classis cum Octava communi

### Introitus Ps. 44, 13, 15 et 16

**V**ULTUM tuum depreca-  
búntur omnes dívites ple-  
bis: adducéntur Regi  
Virgines post eam: próxi-  
mæ ejus adducéntur tibi in lætitia et ex-  
sultatióne. **Ps. ibid., 2** Eructávit  
cor meum verbum bonum: dico  
ego ópera mea Regi.  
**V.** Glória Patri.

## Oratio

**O**mnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constitueristi: concéde propitiatus; ut, tali praesidio muniti certantes in vita, victoriam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Lectio libri Judith

**Jud. 13, 22-25**

**B**enedixit te Dominus in virtute sua, quia per te ad nihilum rediget inimicos nostros. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelsa, praे omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cælum et terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ, propter angustias et tribulationem generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

## Graduale

Benedicta et venerabilis es, Virgo Maria: quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris. **V.** Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera, factus homo.

Alleluja, alleluja. **V.** Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: quia ex te ortus est sol justitiae, Christus, Deus noster. Alleluja.

**P** Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam

**Luc. 1, 26-38**

**P**

**I**n illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis María. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus: et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, María, inventisti enim gratiam apud Deum: ecce, concipies in útero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesus. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.

Et ecce, Elisabeth, cognáta tua, et ipsa concépit filium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancilla Dómini, fiat mihi secundum verbum tuum.

**Credo, per totam Octavam.**

**Offertorium Jer. 18, 20**

Recordáre, Virgo, Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatióne suam a nobis.

### Secreta

**M**únera nostra, Dómine, apud cleméntiam tuam Dei Genetrícis comméndet oráto: quam idcirco de præsénti sǽculo trans tulisti, ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercédat. Per eúndem Dóminum.

**Præfatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitaté: quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis, quæ aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

**Communio Jud. 15, 10**

Tu glória Jerúsalem, tu laetitia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

### Postcommunio

**A**désto, Dómine, pópulis, qui participatione Córporis et Sanguinis tui reficiúntur; ut, sanctissima tua Genetrice auxi-

liánte, ab omni malo et periculo liberéntur, et in omni ópere bono custodiántur: Qui vivis.

**In Administratura  
Œnipontana tantum**

**Sabbato ante Dominicam II Julii**  
**OCTAVA TRANSLATIONIS**  
**IMAGINIS B. M. V.**

sub titulo  
Auxilium Christianorum

**Duplex majus**

**Missa ut in Festo 21.**

**In Administratura  
Œnipontana tantum**

Die 4 Julii  
S. UDALRICI  
EPISCOPI ET CONF.

**Duplex**

**Introitus Eccli. 45, 30**

**S**TATUIT ei Dóminus testamento pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdóti dignitas in ætérnum. **Ps. 131, 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

**V. Glória Patri.**

### Oratio

**D**eus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Udalrici Confessóris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio Octavæ Ss.  
Petri et Pauli Apostolorum:**

**Oratio**

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrásti: da Ecclésiae tuæ, eórum in omnibus sequi præceptum; per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum nostrum.

Léctio libri Sapientiæ

**Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20**

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crèscere in plebem suam. Benedictionem omnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictionibus suis: conservávit illi misericordiam suam: et invénit grátiam coram oculis Domini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum æténum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

**Graduale Eccli. 44, 16**

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. **V. Ibid., 20** Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 109, 4** Tu es sacérdos in æténum, secúndum ordinem Melchisedech. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

**Matth. 25, 14-23**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo péregre proficiscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum pròpriam virtútem, et profectus est statim. Abiit autem, qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et, qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et pósuit rationem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, obtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidisti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca

fuisti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidisti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constituam: intra in gáudium dómini tui.

Credo, *ratione Octavæ.*

### Offertorium Ps. 88, 21-22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et brácchium meum confortábit eum.

### Secreta

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificant: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocinia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

### Pro Octava Ss. Apostolorum

#### Secreta

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátió: per quam nos expiári tríbuas et défendi. Per Dóminum nostrum.

### Præfatio de Octava.

### Communio Luc. 12, 42

Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus super familiam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

### Postcommunio

**P**ræsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Udalrico Confessóre tuo atque Pontifice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

### Pro Octava Ss. Apostolorum

#### Postcommunio

Quos cælesti, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessióni bus ab omni adversité custódi. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

### In civitate Brixinensi tantum

Die 24 Julii

S. CHRISTINÆ  
VIRGINIS ET MART.

#### Duplex

### Introitus Ps. 118, 95-96

**M**E exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiōnis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. **Ps. ibid., 1** Beáti imaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

**V.** Glória Patri.

**Oratio**

**I**ndulgéntiam nobis, quæsumus,  
Dómine, beáta Christína Virgo  
et Martyr implóret: quæ tibi gra-  
ta semper exstítit, et mérito casti-  
tatis, et tuæ professióne virtútis.  
Per Dóminum nostrum.

**E**t fit Commemoratio Vigiliæ S.  
Jacobi:

**Oratio**

**D**a, quæsumus, omnipotens De-  
us: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui,  
quam prævenimus, veneránda  
sollémnitas, et devotionem nobis  
áugeat et salútem. Per Dómi-  
num nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 51, 13-17**

**D**ómine, Deus meus, exaltásti  
super terram habitatióinem  
meam, et pro morte defluénte de-  
precáta sum. Invocávi Dóminum,  
Patrem Dómini mei, ut non dere-  
linquat me in die tribulatiónis  
meæ, et in témpore superbórum  
sine adjutório. Laudábo nomen  
tuum assidue, et collaudábo illud  
in confessióne, et exaudita est  
orátió mea. Et liberásti me de  
perditióne, et eripuisti me de té-  
mpore iniquo. Propterea confité-  
bor et laudem dicam tibi, Dómi-  
ne, Deus noster.

**Graduale Ps. 45, 6 et 5**

Adjuvábit eam Deus vultu suo:  
Deus in médio ejus, non commo-  
vébitur. **V.** Flúminis impetus læ-

tificat civitátem Dei: sanctificávit  
tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. **V.** Hæc est Vir-  
go sápiens, et una de número pru-  
démentum. Allelúja.

**✚ Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Mattháeum**

**Matth. 25, 1-13**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus disci-  
pulis suis parabolam hanc: Si-  
mile erit regnum cælorum decem  
virginibus: quæ, accipiéntes lámpa-  
des suas, exiérunt óbiam sponso et sponsæ. Quinque au-  
tem ex eis erant fátuæ, et quinque  
prudéntes: sed quinque fátuæ,  
accéptis lampádibus, non sump-  
sérunt óleum secum: prudéntes  
vero accepérunt óleum in vasis  
suis cum lampádibus. Moram au-  
tem faciénte sponso, dormitavé-  
runt omnes et dormiérunt. Média  
autem nocte clamor factus est:  
Ecce, sponsus venit, exite óbvi-  
am ei. Tunc surrexérunt omnes  
vírgines illæ, et ornavérunt lámpa-  
des suas. Fátuæ autem sapién-  
tibus dixérunt: Date nobis de  
óleo vestro: quia lámpades no-  
stræ exstinguúntur. Respondé-  
runt prudéntes, dicéntes: Ne forte  
non sufficiat nobis et vobis, ite  
pótius ad vendéntes, et émitte vo-  
bis. Dum autem irent émere, ve-  
nit sponsus: et quæ parátæ erant,  
intravérunt cum eo ad núptias, et  
clausa est jánua. Novíssime vero

vénient et réliquæ vírgines, dicentes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

**In Cathedrali dicitur Credo.**

**Offertorium Ps. 44, 3**

Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedixit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

**Secreta**

**H**óstias tibi, Dómine, beátæ Christinæ Virginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benignus assúme: et ad perpétuum nobis tribue provenire subsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Chri-stum, Filium tuum: Qui tecum.

**Pro Vigilia S. Jacobi**

**Secreta**

Apostólici reveréntia cúnminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus: ut beáti Jacóbi Apóstoli tui suffrágiis, cuius natálicia prævenimus; plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum nostrum.

**Communio**

**Ps. 118, 121, 122 et 128**

Feci judicium et justitiam, Dómine, non calumniéntur mihi supéribi: ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnem viam iniquitatis ódio hábui.

**Postcommunio**

**D**ivini múnéri largítate sa-tiati, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, intercedénte beáta Christina Virgine et Mártyre tua, in ejus semper participátióne vivámus. Per Dóminum.

**Pro Vigilia S. Jacobi**

**Postcommunio**

Sancti Apóstoli tui Jacóbi, quæsumus, Dómine, supplicatióne placátus: et véniam nobis tribue, et remédia sempitérana concéde. Per Dóminum nostrum.

**In fine legitur sequens Evangelium Vigiliæ:**

**¶ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem**

**Joann. 15, 12-16**

**I**n illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligáti invicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectionem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dómminus ejus. Vos autem dixi amicos: quia ómnia, quæcúmque audívi a Pa-tre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum affératis: et fructus vester máneat: ut, quodcúmque petíeritis Patrem in nómine meo, det vobis.

## In diœcesi Brixinensi tantum

Die 27 Julii

S. LUCANI

EPISCOPI ET CONF.  
COMMEMORATIO

## Oratio

C

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Lucáni Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollémnitas, et devotíonem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

## Secreta

C

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificant: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

## Postcommunio

C

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercéidente beato Lucáno Confessore tuo atque Pontifice, benefícia potíora sumámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

**Quando de S. Lucano dicenda est  
Missa integra, sumitur Missa Stá-  
tuit, de Communi Conf. Pontificis  
1 loco.**

## In diœcesi Brixinensi tantum

Die 13 Augusti

S. CASSIANI

EPISCOPI ET MART.

Patroni Ecclesiæ Brixinensis

## Duplex majus

Introitus Dan. 3, 84 et 87

**S**ACERDOTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. **Ibid., 57** Benedicite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

**V. Glória Patri.**

## Oratio

**D**eus, qui nos beáti Cassiáni Mártyris tui atque Pontificis ánnua sollemnitáte lætificas: concéde propitius; ut, cujus natalícia cólimus, de ejúsdem étiam protectione gaudeámus. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Hippolyti Mart.:**

## Oratio

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Mártyris tui Hippolyti veneranda sollémnitas, et devotíonem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

**1 Cor. 4, 9-16**

**F**ratres: Puto quod Deus nos Apóstolos novíssimos osténdit, tamquam morti destinátos:

quia spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam et esurimus, et siti mus, et nudi sumus, et cùlaphis cùdimur, et instabiles sumus, et laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, et benedicimus: persecutórem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos caríssimos móne. Nam si decem milia pædagogórum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génu.

### Graduale Ps. 8, 6-7

Glória et honore coronasti eum.  
¶ Et constituisti eum super ópera manuum tuarum, Dómine.

Alleluja, alleluja. ¶ Hic est sacerdos, quem coronavit Dóminus. Alleluja.

 Sequentia sancti Evangélii secundum Matthæum

Matth. 10, 23-28

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen, dico vobis, non consum-

mabitis civitates Israel, donec véniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut dominus ejus. Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timueritis eos. Nihil enim est opertum, quod non revelabitur, et occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et, quod in aure auditis, prædicáte super tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Credo.

### Offertorium Ps. 88, 21-22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum.

### Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicata sanctifica: et, intercedente beato Cassiano Mártire tuo atque Pontífice, per éadem nos placatus intende. Per Dóminum.

### Pro S. Hippolyto

### Secreta

Réspice, Dómine, múnera populi tui, Sanctórum festivitatē votiva: et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dñm.

## Communio Ps. 20, 4

Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

## Postcommunio

**H**æc nos communio, Dómine, purget a crímine: et, intercedente beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontifice, cælestis remédií fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

## Pro S. Hippolyto

## Postcommunio

Sacramentórum tuórum, Dómine, communio sumpta nos salvet, et in tuæ veritatis luce confírmet. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Augusti

S. GEBHARDI  
EPISCOPI ET CONF.

## Duplex

## Introitus Ps. 131, 9-10

**S**ACERDOTES tui, Dómine, induant justíiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. **Ps. ib., 1** Meménto, Dómine, David: et omnis man-suetúdinis ejus.

**V.** Glória Patri.

## Oratio

**E**xaudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis sollemnitáte deférimus:

et, qui tibi digne méritu famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio S. Josephi Calasanctii Conf.:**

## Oratio

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intellegéntiæ ac pietatis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta, quæsumus; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fáceret et docére, ut præmia consequámur ætéerna. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

## Léctio libri Sapiéntiæ

## Eccli. 45, 1-6

**D**iléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictiōne est. Similem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timore inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pôpulo suo, et osténdit illi gloriā suam. In fide et lenitáte ipsius sanctum fecit illum, et élégit eum ex omni carne. Audivit enim eum et vocem ipsius, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplinæ.

**Graduale Ps. 131, 16-17**

Sacerdótes ejus induam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcā cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 109, 4**  
Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchi-sedech. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

**Matth. 24, 42-47**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescitis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scítote, quóniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non sineret pér-fodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescitis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus suus super familiam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen, dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constituet eum.

**Offertorium Ps. 88, 25**

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

**S**ancti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis, quásumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis gratiæ tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Josepho Calasanctio Secreta**

Altáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis: ut ejus nobis fiant supplicatióne propitia, cuius nos donásti patrocínio adjuvári. Per Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47**

Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio**

**D**eus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Josepho Calasanctio Postcommunio**

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quásumus; ut, intercedénte sancto Josépho Confessóre tuo, ad majus semper proficiámus pietatis increméntum. Per Dóminum nostrum.

**Communio Ps. 20, 4**

Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretiósso.

**Postcommunio**

**H**æc nos communio, Dómine, purget a crimen: et, intercedente beáto Cassiáno Mártyre tuo atque Pontifice, cælestis remédií fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

**Pro S. Hippolyto****Postcommunio**

Sacramentórum tuórum, Dómine, communio sumpta nos salvet, et in tuæ veritatis luce confírmet. Per Dóminum nostrum.

Die 27 Augusti

S. GEBHARDI

EPISCOPI ET CONF.

**Duplex****Introitus Ps. 131, 9-10**

**S**ACERDOTES tui, Dómine, índuant justitiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. **Ps. ib., 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

**V.** Glória Patri.

**Oratio**

**E**xáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis sollemnitáte deférimus:

et, qui tibi digne méritu famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absolve peccátis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Et fit Commemoratio S. Josephi Calasanctii Conf.:**

**Oratio**

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spiritu intellegéntiæ ac pietatis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta, quæsumus; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fáceret et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

**Léctio libri Sapiéntiæ****Eccli. 45, 1-6**

**D**iléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictiōne est. Similem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timore inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pôpulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsius sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audivit enim eum et vocem ipsius, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, et legem vitæ et disciplinæ.

**Graduale Ps. 131, 16-17**

Sacerdótes ejus induam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcám cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4**  
Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchi-sedech. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum  
**Matth. 24, 42-47**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescitis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scítote, quóniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non sineret pér-fodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescitis hora Filius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constituit dóm-nus suus super familiam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóm-nus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen, dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constituet eum.

**Offertorium Ps. 88, 25**

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exal-tábitur cornu ejus.

**Secreta**

**S**ancti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis, quás-sumus, Dómine, ánnua sollémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retríbúto comítetur, et nobis grátiae tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Josepho Calasanctio Secreta**

Altáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis: ut ejus nobis fiant supplicatióne propítia, cujus nos donásti patrocínio adjuvári. Per Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47**

Beátus servus, quem, cum vénerit dóm-nus, invénerit vigilán-tem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio**

**D**eus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Gebhárdi Confessóris tui atque Pontificis, cujus venerándam celebrámus festivitatē, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Josepho Calasanctio Postcommunio**

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quás-sumus; ut, intercedénte sancto Josépho Confes-sóre tuo, ad majus semper proficiámus pietatis increméntum. Per Dóminum nostrum.

Die 6 Septembbris  
S. MAGNI ABBATIS  
Duplex

**Missa Os justi, de Communi Abbatum.**

**Oratio C**

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Magni Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

**Secreta C**

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Magnus Abbas, quæsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum nostrum.

**Postcommunio C**

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beáitus Magnus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

**In diœcesi Brixinensi tantum**

Die 10 Septembbris

**DEDICATIO  
BASILICÆ CATHEDRALIS**

**Duplex I classis  
cum Octava communi**

**Missa Terribilis, de Communi  
Dedicationis Ecclesiæ.**

**Et, in Missis privatis tantum, fit  
Commemoratio S. Nicolai de To-**

**lentino Confessoris, ut in Missali  
hac die.**

**In diœcesi Brixinensi tantum**

Die 11 Septembbris  
**DE OCTAVA  
DEDICATIONIS  
BASILICÆ CATHEDRALIS**  
**Semiduplex**

**Missa ut in Festo.**

**Et fit Commemoratio Ss. Protii et  
Hyacinthi Martyrum, ut in Missali  
hac die.**

**In Administratura  
(Enipontana tantum**

Die 12 Septembbris  
**SANCTISSIMI  
NOMINIS MARIAE**

**Duplex II classis  
Omnia ut in Missali.**

Die 13 Septembbris

**B. NOTHBURGÆ  
VIRGINIS**

**Duplex**

**Introitus Ps. 44, 8**

**D**ILEXISTI justitiam, et odisti iniquitátem: prop térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiæ præ consórтиbus tuis. **Ps. ibid., 2** Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.  
**V. Glória Patri.**

**Oratio**

**P**ræténde, Dómine, fidélibus tuis dexteram cælestis auxiliū: ut méritis et exémplo beátæ Nothburgæ Virginis te toto corde perquirant, et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum nostrum.

**E**t, in diœcesi Brixinensi, fit Com-memoratio Octavæ Dedicationis Basilicæ Cathedralis:

**Oratio**

**D**eus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecratiōnis réparas diem, et sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exaudi preces populi tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus in-gréditur, cuncta se impetrásse lätétetur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

**Léctio** Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios

**2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2**

**F**ratres: Qui gloriātur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus commén-dat. Utinam sustineréatis módi-cum quid insipiétiæ meæ, sed et supportáte me: æmular enim vos Dei æmulatiōne. Despóndi enim vos uni viro virginem castam exhibére Christo.

<sup>3</sup> Miss.-Propri. Brixin.-Enipontan.

**Graduale Ps. 44, 5**

Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspera procéde, et regna. **V.** Propter veritátem, et mansuetudinem, et justitiam: et dedúcet te mirabiliter dexterā tua.

Allelúja, allelúja. **V. Ibid., 15 et 16** Adducéntur Regi Virgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lätitia. Allelúja.

**H** Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

**Matth. 25, 1-13**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus disci-pulis suis parábolas hanc: Si-mile erit regnum cælōrum decem virginibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sump-sérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormita-vérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exite óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes virgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sa-piéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondé-

runt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émitte vobis. Dum autem irent émère, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jáuua. Novíssime vero véniant et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, nescio vos. Vigiláte itaque, quia nescitis diem neque horam.

**In diecesi Brixinensi Credo, ratione Octavæ.**

### Offertorium Ps. 44, 10

Filiæ regum in honore tuo, ástitit regina a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte.

### Secreta

**C**aeléstem nobis præbeant hæc mystéria, quæsumus, Dómine, medicinam: et, intercedénte beáta Nothbúrga Virgine tua, vitia nostri cordis expúrgent. Per Dóminum nostrum.

### Pro Octava Dedicationis In Basilica Cathedrali

### Secreta

Annue, quæsumus, Dómine, précibus nostris: ut, quicúmq; intra templi hujus, cuius anniversárium dedicationis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi atque perfécta cóporis et ánimæ devotione placeámus; ut,

dum hæc vota præsentia réddimus, ad æterna præmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

### Extra Basilicam Cathedralem Secreta

Annue, quæsumus, Dómine, précibus nostris: ut, dum hæc vota præsentia réddimus, ad æterna præmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

### Communio Matth. 25, 4 et 6

Quinque prudéntes vírgines accéperunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit: exite óbviam Christo Dómino.

### Postcommunio

**A**uxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Nothbúrga Virgine tua, sempitérna protectione confirmant. Per Dóminum nostrum.

### Pro Octava Dedicationis Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapidibus æternum majestati tuæ præparas habitaculum: auxiliare populo tuo supplicanti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spatiis, spirituálibus amplificetur augmémentis. Per Dóminum nostrum.

**In diœcesi Brixinensi tantum**

Die 17 Septembris

OCTAVA

DEDICATIONIS

BASILICÆ CATHEDRALIS

Duplex majus

Missæ Terribilis, de Communi  
Dedicationis Ecclesiæ.

Et fit Commemoratio Impressio-  
nis Ss. Stigmatum S. Francisci,  
ut in Missali hac die.

Deinde, in Quatuor Temporibus,  
fit Commemoratio Feriæ ac legi-  
tur ejus Evangelium in fine.

In Administratura  
Cenipontana tantum

Die 25 Septembris

SANCTI NICOLAI DE FLÜE  
EREMITÆ ET CONF.

Duplex

Introitus Ps. 36, 30-31

**O**s justi meditabitur sa-  
piéntiam, et lingua ejus  
loquétur judicium: lex  
Dei ejus in corde ipsius. **Ps. ibid., 1** Noli æmulári in malignántibus;  
neque zeláveris faciéntes iniqui-  
tatem. **V. Glória Patri.**

Oratio

**D**eus, qui beátum Nicoláum  
Eremítam, Angelórum esca  
mirabiliter nutrire, ac donis cæ-  
lestibus cumuláre voluisti: con-  
céde, quássumus; ut ejus interces-  
sione Domínicum corpus digne-

súmere in terris, et gloriósum  
conspícere mereámur in cælis.  
Per eundem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 31, 8-11**

**B**éatus vir, qui invéntus est sine  
mácula, et qui post aurum  
non ábiit, nec sperávit in pecúnia  
et thesáuris. Quis est hic, et lau-  
dábimus eum? fecit enim mirabí-  
lia in vita sua. Qui probátus est  
in illo, et perféctus est, erit illi  
glória æterna: qui pótuit tráns-  
gredi, et non est transgréssus: fá-  
cere mala, et non fecit: ideo sta-  
bilita sunt bona illius in Dómino,  
et eleemosynas illius enarrábit  
omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14

Justus ut palma florébit: sicut ce-  
drus Libani multiplicábitur in  
domo Dómini. **V. Ibid., 3** Ad an-  
nuntiandum mane misericórdiam  
tuam, et veritátem tuam per noc-  
tem.

Allelúa, allelúa. **V. Jac. 1, 12**  
Beátus vir, qui suffert tentatió-  
nen: quóniam, cum probátus  
fuerit, accípiet corónam vitæ. Al-  
lelúa.

**✚** Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Mattháeum

**Matth. 19, 27-29**

**I**n illo témpore: Dixit Petrus ad  
Jesum: Ecce, nos reliquimus  
ómnia, et secúti sumus te: quid

ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum se derit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidet.

### Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericordia mea cum ipso: et in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

### Secreta

**L**audis tibi, Dómine, hóstias im molámus in tuorum commemoratione Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futuris. Per Dóminum nostrum.

### Communio Matth. 24, 46-47

Beatus servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

### Postcommunio

**R**efécti cibo potuque cælesti, Deus noster, te supplices exorámus: ut, in cuius haec commemoratione percépimus, ejus muniamur et præcibus. Per Dóminum nostrum.

### In Administratura Œnipontana

Die 8 Octobris

### In diœcesi Brixinensi

Die 12 Octobris

### In Ecclesiis consecratis excepta Cathedrali

DEDICATIO

### ECCLESIÆ PROPRIÆ

Duplex I classis  
cum Octava communi

Missa Terribilis, de Communi  
Dedicationis Ecclesiæ.

In Administratura Œnipontana,  
in Missis privatis tantum, fit Com  
memoratio S. Birgittæ Viduæ, ut  
in Missali.

### In Admin. Œnipontana tantum

Die 12 Octobris

### DE V DIE INFRA OCTAVAM DEDICATIONIS ECCLESIÆ PROPRIÆ

Semiduplex

Missa ut in Festo. 2<sup>a</sup> Oratio de  
sancta Maria Concéde, 3<sup>a</sup> contra  
persecutores Ecclesiæ vel pro  
Papa.

### In Admin. Œnipontana tantum

Die 15 Octobris

OCTAVA

DEDICATIONIS

### ECCLESIÆ PROPRIÆ

Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Festo.  
Et fit Commemoratio S. Teresiæ  
Virginis, ut in Missali hac die.

Die 16 Octobris

S. GALLI ABBATIS

Duplex

Missa Os justi, de Communi Abbatum.

Oratio

C

**I**ntercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Galli Abbátis coméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocinio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Hedwigis Viduæ:

Oratio

Deus, qui beátam Hedwigem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transire docuisti: concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus períturas mundi calcáre delicias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. (Qui vivis et regnas.)

Deinde, in diœcesi Brixinensi, in Ecclesiis consecratis, excepta Cathedrali, Octavæ:

Oratio

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræsentas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum beneficia petiturus ingréditur, cuncta se impetrásse lætetur. Per Dóminum.

Secreta

C

**S**acris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Gal-lus Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum nostrum Jesum Chri-stum, Fílium tuum: Qui tecum.

Pro S. Hedwige

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátae plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepisse cognóscit auxilium. (Per Dóminum nostrum.)

In diœcesi Brixinensi

Pro Octava

Secreta

Annue, quæsumus, Dómine, précibus nostris: ut, quicúmque intra templi hujus, cuius anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi atque perfécta corporis et ánimæ devotióne placeámus; ut, dum haec vota præsentia réddimus, ad æterna præmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

**P**rótegat nos, Dómine, cum tui perceptiōne sacraménti beá-tus Gallus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insignia, et intercessiōnis percipiámus suffrágia. Per Dóminum nostrum.

**Pro S. Hedwige Postcommunio**  
 Satiásti, Dómine, familiam tuam  
 munéribus sacris: ejus, quásu-  
 mus, semper interventióne nos  
 réfove, cujus sollémnia celebrá-  
 mus. (Per Dóminum nostrum.)

In diœcesi Brixinensi

**Pro Octava Postcommunio**  
 Deus, qui de vivis et éléctis lapi-  
 dibus ætérrnum majestáti tuæ præ-  
 paras habitáculum: auxiliáre pô-  
 pulo tuo supplicánti; ut, quod Ec-  
 clésia tuæ corporálibus próficit  
 spátiis, spirituálibus amplificétur  
 augmémentis. Per Dóminum.

In diœcesi Brixinensi tantum

Die 19 Octobris

OCTAVA  
 DEDICATIONIS  
 ECCLESIÆ PROPRIÆ  
 Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Festo.  
 Et fit Com. S. Petri de Alcantara  
 Conf., ut in Missali hac die.

In Administratura  
 (Enipontana tantum

Die 15 Novembbris

S. LEOPOLDI CONF.

Duplex

Introitus Ps. 36, 30-31

**O**S justi meditábitur sapién-  
 tiam, et lingua ejus lo-  
 quétur judicium: lex Dei  
 ejus in corde ipsius. Ps. ibid., 1

Noli æmulári in malignántibus:  
 neque zeláveris faciéntes iniqui-  
 tátēm. **V.** Glória Patri.

Oratio

**D**eus, qui beátum Leopoldum  
 a sæculi curis ad cælestem  
 gloriā traduxisti: concéde, quâ-  
 sumus; ita nos per hæc temporá-  
 lia pertransíre, ut ætérrnae vitæ  
 consórtia mereámur. Per Dómi-  
 num nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Alberti  
 Magni Ep. et Conf.:**

Oratio

Deus, qui beátum Albértum Pon-  
 tificem tuum atque Doctórem in  
 humána sapiéntia divinæ fidei  
 subiciénda magnum effecísti: da  
 nobis, quâsumus; ita ejus magi-  
 stérii inhærére vestigiis, ut luce  
 perfécta fruámur in cælis. Per  
 Dóminum nostrum Jesum Chri-  
 stum, Filium tuum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ

**Eccli. 31, 8-11**

**B**eaütus vir, qui invéntus est sine  
 mácula, et qui post aurum  
 non ábiit, nec sperávit in pecúnia  
 et thesáuris. Quis est hic, et lau-  
 dábimus eum? fecit enim mirabili-  
 lia in vita sua. Qui probátus est in  
 illo, et perféctus est, erit illi gló-  
 rìa ætérrna: qui pótuit tránsgredi,  
 et non est transgréssus: fáceré  
 mala, et non fecit: ideo stabilita-  
 sunt bona illius in Dómino, et

eleemosynas illius enarrabit omnis ecclésia sanctórum.

**Graduale Ps. 91, 13 et 14**

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicábitur in domo Dómini. **V. Ibid., 3** Ad annuntiandum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Alleluja, alleluja. **V. Jac. 1, 12**  
Beátus vir, qui suffert tentatiórem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

**Luc. 19, 12-26**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábola hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in régiónem longinquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatióne post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnare super nos. Et factum est, ut rediret accépto regno: et jussit vocári seruos, quibus dedit pecúniam, ut sciret, quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens

super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: timui enim te, quia homo austérus es: tollis, quod non posuisti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas, quod ego homo austérus sum, tollens, quod non pósui, et metens, quod non seminávi: et quare non dedisti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegissem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixerunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et, quod habet, auferétur ab eo.

**Offertorium Ps. 88, 25**

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

**Secreta**

Laudis tibi, Dómine, hóstias imolámus in tuórum commemoratioñe Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

**Pro S. Alberto Magno  
Secreta**

Sacrificiis præsentibus, Dómine, quæsumus, intende placatus: ut quod passiōnis Filii tui, Dómini nostri, mystério gérimus, beati Albéti intercessione et exēmplo, pio consequámur afféctu. Per eúndem Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47**

Beatus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

**Postcommunio**

**R**efecti cibo potuque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratiōne percépimus, ejus muníamur et præcibus. Per Dñm.

**Pro S. Alberto Magno  
Postcommunio**

Per hæc sancta, quæ súmpsimus, ab hóstium nos, Dómine, impugnatiōne defénde: et, intercedente beato Albéto Confessore tuo atque Pontifice, perpétua pace respiráre concéde. Per Dñm.

**Die 17 Novemboris  
S. FLORINI CONF.**

**Duplex**

**Introitus Ps. 91, 13-14**

**J**USTUS ut palma florébit: sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei no-

stri. **Ps. ibid., 2** Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altissime.

**V. Glória Patri.**

**Oratio**

**D**eus, qui hodiérana die nobis tribuisti, beati Florini Confessoris tui sollemnitatēm venerári: adéstō propitiō Ecclésiae tuæ præcibus, et ex ejus nobis imitatiōne concéde; pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidare. Per Dóminum nostrum.

**Et fit Commemoratio S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf.:**

**Oratio**

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Gregorii Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollémnitas, et devotió nem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epistolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios

**1 Cor. 4, 9-14**

**F**ratres: Spectaculum facti sumus mundo et Angelis et hominibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: ma-

ledicimur, et benedicimus: persecutiōnem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgamenta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu, Dómino nostro.

### Graduale Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam,  
et lingua ejus loquéatur judicium.

**V.** Lex Dei ejus in corde ipsius:  
et non supplantabúntur gressus  
ejus.

Allelúja, allelúja. **V.** Ps. 111, 1  
Beátus vir, qui timet Dóminum:  
in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Lucam

### Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timére, pusillus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Vénrite quæ possidétis, et date elemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

### Offertorium Ps. 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutare tuum ex-

sultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

### Secreta

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio et pro tuorum tibi grata sit honore Sanctórum, et nos corpore páriter et mente purificet. Per Dóminum nostrum.

### Pro S. Gregorio Thaumaturgo

### Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocinia sentiámus. Per Dóminum.

### Communio Matth. 19, 28 et 29

Amen, dico vobis: quod vos, qui reliquistis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

### Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedénte beáto Floríno Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

### Pro S. Gregorio Thaumaturgo

### Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gregório Confessóre tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

In Administratura  
Cenipontana tantum  
Die 26 Novembris

S. CONRADI EP. ET CONF.

Duplex

Introitus Eccli. 45, 30

**S**TATUIT ei Dóminus testamento pacis, et principem fecit eum: ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

V. Glória Patri.

Oratio

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Conrádi Confessoris tui atque Pontificis veneranda sollémnitas, et devotionem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. S. Silvestri Abbatis:

Oratio

Clementissime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sáculi hujus vanitatem in aperto túmulo pie meditántem, ad erénum vocare et præcláris vitæ méritis decorare dignátus es: te súpplices exorámus; ut, ejus exémplo terrena despiciéntes, tui consórtio perfruámur æterno. (Per Dñm.)

Deinde S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.:

Oratio

Infirmitátem nostram résponce, omnipotens Deus: et, quia pondus própriæ actiōnis gravat, beáti

Petri Mártyris tui atque Pontificis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20

**E**cce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracundiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus similis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmandoit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram oculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam gloriæ. Státuit illi testaméntum æternum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

Graduale Eccli. 44, 16

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. V. Ibid., 20 Non est invéntus similis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Alleluja, alleluja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Alleluja.



## Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum

Matth. 25, 14-23

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. Abiit autem, qui quinque talenta acciperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. Similiter et, qui duo acciperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acciperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acciperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce, alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constitua: intra in gaudium domini tui. Accesit autem et qui duo talenta acciperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce, alia duo lucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te con-

stituam: intra in gáudium dómini tui.

## Offertorium Ps. 88, 21-22

Invéni David servum meum, óleo  
sancto meo unxi eum: manus  
enim mea auxiliábitur ei, et brác-  
chium meum confortábit eum.

Secretaria

**S**ancti tui, quæsumus, Dómine,  
nos ubique lætificent: ut, dum  
eórum mérita recólimus, patroci-  
nia sentiámus. Per Dóminum  
nostrum Jesum Christum, Filium  
tuum: Qui tecum vivit.

Pro S. Silvestro

Quæsumus, Dómine: ut, dum hæc  
múnera divinæ majestáti tuæ re-  
verénter offérimus; pia mentis  
præparatióne et cordis puritáte,  
beáti Silvéstri Abbátis imitatóres  
effécti, Corpus et Ságuinem Filii  
tui sancte percipere mereámur.  
(Qui tecum vivit et regnat.)

Pro S. Petro

Secretaria

Hóstias tibi, Dómine, beáti Petri  
Mártiris tui atque Pontíficis di-  
cásas méritis, benignus assúme:  
et ad perpéturn nobis tribue pro-  
venire subsídium. Per Dóminum  
nostrum Jesum Christum, Filium  
tuum: Qui tecum vivit.

Communio Luc. 12, 42

Fidélis servus et prudens, quem  
constituit dóminus super fami-  
liam suam: ut det illis in témporte  
trítici mensúram.

**Postcommunio**

**P**ræsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercéidente beáto Conrádo Confessóre tuo atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

**Pro S. Silvestro  
Postcommunio**

Divina dape reféctis tribue, quæsumus, Dómine: sancti Silvéstri

Abbátis vestigiis ita inhærére; ut copiósam mercédem in regno glóriæ tuæ cum Sanctis habeámus.  
(Per Dóminum nostrum.)

**Pro S. Petro Postcommunio**  
Refécti participatióne múnneris sacri, quæsumus, Dómine, Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercedénte beáto Petro Mártyre tuo atque Pontifice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

# MISSA VOTIVA DE PATRONIS ECCLESIAE BRIXINENSIS

**Introitus Ps. 131, 9-10**

**S**ACERDOTES tui, Dómine, induant justitiam, et sancti tui exsultent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. (**T. P.** Allelúja, allelúja.) **Ps. ibid., 1** Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetudinis ejus.

**V.** Glória Patri.

## Oratio

**P**ropitiáre, quássumus, Dómine, nobis fámulis tuis per beáti Cassiáni Mártyris tui atque Pontificis, sanctorúmque Confessórum tuórum atque Pontíficum Ingenuini et Albuini mérita gloriósa: ut eórum pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos

**Hebr. 7, 23-27**

**F**ratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcirco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accédentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad inter-

pellándum pro nobis. Talis enim décébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excél-sior cælis factus: qui non habet necessitatē cotidie, quemadmodum sacerdótes, prius pro suis delictis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seipsum offeréndo, Jesus Christus, Dóminus noster.

**Graduale Ps. 131, 16-17**

Sacerdótes ejus induam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchisedech. Allelúja.

**Post Septuagesimam, omissis Al-léluja et Versu sequenti, dicitur**

**Tractus Ps. 111, 1-3**

Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. **V.** Potens in terra erit semen ejus: generatió rectórum benedicétur. **V.** Glória et divitiæ in domo ejus: et justitia ejus manet in sǽculum sǽculi.

**Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4**  
Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Allelúja. **V. Eccli. 45, 9**  
Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam gloriæ induit eum. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthæum

**Matth. 24, 42-47**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Vigiláte, quia nescitis, qua hora Dóminus vester venturus sit. Illud autem scítote, quóniam, si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret útique, et non sineret pérfodi domum suam. Ideo et vos estote paráti: quia qua nescitis hora, Filius hóminis venturus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constituit dómīnus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beátus ille servus, quem, cum vénérerit dómīnus ejus, invénērit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua consti-tuet eum.

### Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nōmine meo exaltabitur cornu ejus. **(T. P. Allelúja.)**

### Secreta

**S**uscípiat cleméntia tua, quæsumus, Dómine, de mánibus nostris munus oblátum: et per beáti Cassiáni Mártyris tui atque Pontificis, sanctorumque Confessorum tuórum atque Pontificum Ingenuini et Albuini oratiōnes, ab ómnibus nos emúndet peccátis. Per Dóminum nostrum.

**Communio Matth. 24, 46-47**

Beátus servus, quem, cum vénérerit dómīnus, invénērit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum. **(T. P. Allelúja.)**

### Postcommunio

**D**ivina, Dómine, libantes mystéria, quæ per beáti Cassiáni Mártyris tui atque Pontificis, sanctorumque Confessorum tuórum atque Pontificum Ingenuini et Albuini veneratiōnem, tuæ obtulimus majestati: præsta, quæsumus; ut per ea véniam mereámur peccatórum, et cælestis gratiæ donis reficiámur. Per Dóminum nostrum.

## INDEX ALPHABETICUS

Agathæ Virg. et Mart., duplex. 17 Februarii	11*	Geroldi Conf., duplex. 19 Aprilis	14*
Cassiani Ep. et Mart., Patroni Ecclesie Brixinensis, duplex majus. 13 Augusti	28*	Hartmanni Ep. et Conf., duplex. 12 Decembris	1*
— — Translatio, dupl. I cl. Sabbato ante Dom. II post Pascha	25*	Hemmar. Viduæ, duplex. 27 Junii	19*
Christine Virg. et Mart., duplex. 24 Julii	11*	Ingenuini et Albuni Epp. et Cc., Patronorum dioecesis Brixinensis duplex I classis cum Octava communi. 5 Febr.	8*
Clementis Mariæ Hofbauer Conf., duplex. 15 Martii	15*	— — Octava, duplex majus. 12 Februarii	10*
Conradi a Parzham Conf., duplex. 20 Aprilis	12*	Joannis Nepomuceni Mart., duplex. 16 Maii	17*
Conradi Ep. et Conf., duplex. 26 Novembris	42*	Leopoldi Conf., duplex. 15 Novembris	38*
Dedicatio Basilicae Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. 10 Septembri	32*	Lucani Ep. et Conf., Commemoratio. 27 Julii	28*
— — De Octava, semiduplex. 11 Septembri	32*	Lucii Ep. et Mart., Commemoratio. 3 Decembris	1*
— — Octava, duplex majus. 17 Septembri	35*	Magni Abbatis, duplex. 6 Septembri	32*
Dedicatio Ecclesie proprie, duplex I classis cum Octava communi. 8 vel 12 Octobris	36*	Maria B. V., Sanctissimi Nominis, duplex II classis. 12 Sept.	32*
— — De V die infra Octavam, semiduplex. 12 Octobris	36*	— — Translationis Imaginis sub titulo Auxilium Christianorum, dupl. I cl. cum Oct. comm. Sabbato ante Dom. I Julii	21*
— — Octava, duplex majus. In Administratura Eñipontana 15 Octobris	36*	— — Octava, dupl. majus. Sabbato ante Dominicam II Julii	23*
— — Octava, duplex majus. In dioecesi Brixinensi 19 Octobris	38*	Nicolai de Flüe Eremitæ et Conf., duplex. 25 Septembri	35*
Eusebii Mart., Commemoratio. 31 Januarii	8*	Nothburgæ Virg., duplex. 13 Septembri	32*
Florini Conf., duplex. 17 Novembris	40*	Ottilia Virg., duplex. 14 Decembris	3*
Galli Abbatis, duplex. 16 Octobris	37*	Patronorum Ecclesie Brixinensis, Missa votiva	45*
Gebhardi Ep. et Conf., duplex. 27 Augusti	30*	Romedi Conf., duplex. 15 Januarii	6*
		Udalrici Ep. et Conf., duplex. 4 Julii	23*
		Valentini Ep. et Conf., Commemoratio. 7 Januarii	5*

## APPROBATIO

Nr. 260/53

Concordat cum originali approbato  
(Rescr. S. C. Rit. No. B 89/953, die 16 Decembris 1953).

Brixinæ, die 8 Januarii 1955

DR. JOANNES UNTERGASSER

Vic. gen.

Eñiponte, die 5 Januarii 1955

DR. BRUNO WECHNER

Provicarius

## IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 2 Februarii 1955

J. BALDAUF

Vic. gen.

Ratisbonæ, sumptibus et typis Friderici Pustet  
Printed in Germany

